

n vere charitas - ut eiusdem
ris, quem supra laudavimus, ite-
ciamus - est "bonorum omnium
„¹ Nos etiam in hac terminum
d igitur votis omnibus compre-
hac perturbata hominum socie-
tentis Dei Ecclesiaeque suaे in-
bus, legibus, cultu ac memoria
revocata, charitas christiana re-
e cum belli odioique furentibus
schismatis atque erroribus ser-
isque finem imponens, populos
re devinciat arctiore, quam fluxis-
ctis, unitate fidei potissimum et
unctionis consuetudine, seu ne-
gotius, cum hac Apostolica Sede,
is Dominus noster veluti quod-
in terris suaे fundamentum con-
dit, et virtutibus, sapientia, labo-
ratorum atque ipso denique Mar-
nifacii, sanguine consecratam.


em consensione fidei et volun-
tatione ubique terrarum instau-
os etiam usurpare iure quodam
simur, de plebe christiana uni-
romani conscientia primatus, iam
saeculo christiano peculiariter
Clemens Papa Corinthiis: "Gau-
tiām nobis praestabis, si oboe-
is quae scripsimus per Spiritum
ecetis illegitimum zeli studium
hortationem, quam de pace ac
animis in hac epistola „²

tinam hoc nobis omnibus Boni-
polis ac Martyr impetrat, ac po-
tim, potiori iure, sive origine,
suis: illud utique idem e beas-
s perficiens, quod ipso fatente
uam cessavit in terris: "Quan-
dientes vel discipulos in ista le-
Deus donaverit, ad oboedientiam
Sedis invitare et inclinare non

id. Iunio Adversarii 28. 1860.
om., Ep. I ad. Corinthios, LXIII.
XLIX),


us Dr. FORNARI, Sponsor
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), Bre sia, CAIRO (in Aegypto), Can ile, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gagnana, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, Lión, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietr'angeli, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Taragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2%, si mensium duodecim; c) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.*

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollentium subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; d) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; e) exteris numeros negotiatur eorumque collybum exercet; f) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; g) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.*

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgiae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

Sociis

cripta venum dantur,

andium, Milesiae
agendis. – Singulae

lores. – Si tegu-
ue titulo, lib. 2,25.

, Actiones drama-

sia fabula. – Lib. 1.

– Lib. 1.

Ann. VI.


Romae, Mens. Augusto et Septembri MCMXIX.

Fasc. VIII-IX.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2,40;
march. 10; rubl. 4½; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*



BENEDICTO XV

IN DIEM III MENSIS SEPTEMBRI MCMXIX

QUINTUM EMINSO ANNUM

EX QUO ELECTUS EST PONTIFEX MAXIMUS

*Rectorem posuit, Maxime Pontifex,
Te, caeli Dominus, nunc super inclitam
Navem non peritaram.
Clavum fortiter occupa.*

*Et fluctus rabidis motibus irruunt,
Effulgent subito flammea fulgura.
Soli flectere fas est
Iras aequoreas, Tibi.*

*Fluctus hanc rapidi, saxifragaeve aquae
Nunquam turbinibus praecipitem dabunt,
Quamvis imperiosa
Perflent turbida flamina.
Terrae fortior est quam stabiles poli;
Semper conspicient hanc vaga sidera:*

*Una cum zephyris et puerum dolor
Et matrum lacrimae convenient simul:
Sicut turba volucrum
Malum quae tremulum student.
Ulnas tunc patrias porrigit omnibus
Questus et teneros accipit et preces:*

*Nec solus mare carpis,
Tecum est Omnipotens Deus.
Mens divina fuit. Nam moderamine
Nunc certo indiget haec. Sic Benedictus est
Ad nimboسا vocatus
Non ad mitia tempora.*

*Vastae sed maris undae
Haud saevam rabiem premunt.
Fluctus hic revocat, quippe doloribus
Commotus graviter: praesidiumque fert.
Frustra clamat, et Altum
Voices reddit inutiles.*

*Cum tandem pelagus sit sine murmure,
Ventis nec rapidis aestuet horridum,*

Tunc nomen Benedicti

Undae cum zephyri ferent,

*Atque agmen volucrum cum celere Africa
Hoc nomen referent atque canent sacrum:*

Leni cumque susurro

Dicent gentibus omnibus.

*Menses interea, currite, currite,
Iamque anni vigeant protinus aurei:*

Anni, qui Patri saltas

Curas pervigilis levent.

Verulæ, in Hispania.

S. MARTINEZ, S. I.

VOX PATERNA

Benedicti XV vox illa paterna, quae per immane funestissimumque bellum clamare non destitit, sive ut ferociissimas undecumque admissas clades deprecaretur, sive ut populos in christiana caritate atque iustitia ad durabilem pacem revocaret; quin imo ipsius pacis fundamenta tradidit, quæ quam vera ac provida essent quisque cordatus vir nulliusque partis studio inserviens in dies experitur, Versaliensi foedere nunc composito, prudens iterum atque amantisima, die xv superioris mensis Iulii insonuit, datis litteris ad Germaniae episcopos.¹ Earum vero monita, ut Catholicae Ecclesiae opera belli damna quamprimum resarciantur, ad Germanos unice spectare dixeris, an ad gentes universas? Si enim ad Germaniae populos convertitur sermo, haud quidem victoris violenter superbeque agentis sermo est; sed parentis misericordissimi pietate commotî in sobolem, gra-

vissimas acerbissimasque aerumnas patientem, quas unice is contemplatur, et quarum causas praetermittit; non aliter ac Evangelicus pater liberos omnes tanto amore prosequebatur, ut prodigum filium, licet se indignum, in summa egestate redactum quum advertisset, in eius complexum cupide ruebat.

Hora scilicet haec est non probra ingredi, sed dilectionis, sed caritatis triumphos instaurandi; quis autem sese omnis culpae ita expertem iudicaverit, ut primum lapidem quieta tranquillaque mente conidere sese posse crediderit? Nonne, saltem, et hisce diebus homines videmus, qui, belli atque pacis tempora discernere aut nolentes aut inscientes, adversum illum animum, odium illud perpetuare in victos contendunt, quod – numquid tacuerimus? – fortasse in bello fatale exstitit? Ut de illis non dicamus, qui dum ignobiles huiusmodi sensus fovent, de auro turpiter per commercia cum ipsis victimis contrectant....

**

Id igitur primo omnes monere mihi Pontifex videtur ad Germaniae episcopos hodie scribens: subiectis esse parcendum. Quum autem ad mutuam utilitatem commercia instauranda esse nemo negaverit, hoc haud vili auri fame fiat, sed fraterna Christi caritate. Itaque dum Germaniae parochi urgentur ut fidelibus qui agros incolunt suadeant, quantum parcendo possint, tantundem cibariorum urbanis civibus fame laborantibus praebere ne recusent, altius monitum non dubie intendit; quemadmodum et ex illis litterarum verbis deprehenditur, quibus caritas memoratur omnes «vel inimicos» complecti; et aperte paulo post edicitur, quum maximus divini pastor ovilis se confidere pandit, fore ut «quotquot sunt homines cultarum nationum, maximeque catholici, isti populo, quem ad extrema redactum scimus, opitulari maturent».

¹ Earum textum vid. in huius fasciculi pag. 189.

Quod quidem auxilium haud profecto periculorum metu ferendum est, quae a malesuadis famis consiliis profecta, velut ignitiae pulveris effuso incendio sive irrefraenabili contagio, omnia sint ubique everusa: Christi enim in terris Vicarius metu commoveri non potest; sed amoris unoigne illo, quem Jesus venit in omnem terram mittere, voluitque ut unus accenderetur. Nempe ex certo illo fonte, ad quem accedere pius dans iura Pater omnes iam, vel in tristissimis belli diebus, iterum iterumque invitavit. Tum heu! atrae bellicae procellae fragor dulcissimam illam vocem obruit; ob suavitatem suam mitis admodum alicui vox ipsa videri potuit; quin etiam et aliquod discrimen importans, quemadmodum provocatis ac lacessitis populis tum apparuit.... Hodie vero omnes sumus periculo defuncti: lupi, hodie homines rursus fieri debent; hominesque supremum Christi praeceptum ante omnia attendant oportet: ut invicem diligent. Eius igitur vim eo libentius percipient ii, quibus ex bello satis est factum; audiant afflictæ demum atque attritæ gentes, quibus, ut heri maximum exstitit populis ab armis petitis, maius est hodie sacrificium; apud quas ideo Pontificium verbum instat, ut ea sanentur, quae bellum peperit aut exasperavit, vulnera animorum; utque potissimum labes aboleatur odii cum adversus externos quibuscum dimicatio fuit, tum inter cives, quos partium studia dissident.

**

Haec autem suadens; fraternalm, quae a Iesu Christo est, caritatem commendans, cui «nulli sunt fines populorum, nulla inter civium ordines certamina»; paterna Benedicti XV sollicitudo omnes rursus populos complectitur. Videt enim in Germania, neque in Germania solum, at fortasse alibi magis, insana mente, imo scelesto animo, tamquam sanguinis parum fuerit nuper

effusum, populos in alterum, idque non minus funestum, exitium præcipites ruere; in sociale dicimus bellum, odio inter ci-vium ordines, aut, rectius, inter factiones satum: eadem igitur ratione, eodem studio atque cura, eamdem christianam caritatem ab omnibus invocat, tum pro politicis hostibus tum pro civilibus, tamquam novo imminenti bello præsens item atque unicum remedium, pignus unum durabilis et foecundae pacis.

Qui igitur sincera fide ac recta conscientia sustentamur, quippe opere atque scriptis, per aequam mentem, nostrum quodcumque fuerit studium dirigere co-nati sumus, ut paternum stimulum de salute tantum humani generis anxiū, pro parte nostra curaremus in ceterorum animum inserendum, eo magis hodie intra et extra patriæ fines Benedicti PP. XV paternae voci præsto esse debemus, et contendere quo in iustitia fiat vere pax; in iustitia inquam et caritate, «quae si desit, omnis de pace conventio frustra erit».

ROMANUS.

De veteri Christianorum lingua¹

*Sed nos immensus spatis confecimus aequor,
Et iam tempus equum fumantia solvere colla.*

Itaque laeto animo ad finem atque ovanter progrediar. Attamen veluti in limine clarissimos viros ac sanctissimos me oculis salutantes adspicio, qui rem meam mecum sunt commode adgressi, et multo plures, quos longo nimis itinere fessus, aut magna rerum copia obrutus, arte leviter memini, aut silentio prætereundos esse omnino putavi. Erant Galli, Angli, Hispani, qui latini eloquii magistri, temporum cursu, versibus vel soluta oratione,

¹ Confr. num. sup.

ad populum orantes, vel religionem a calumniantibus vindicantes, piorum mentes ad sanctitatem informarunt. Namque, omnibus doctrinarum luminibus extinctis, ob incursionses Barbarorum, in Italia, catholicae religionis capite, hominum sapientiam, omnem intelligentiae vim, disciplinarum, bonarum artium copiam religio explicavit, salutaremque illam vitae potentiam portendit, tum in philosophia, tum in scientiis, quas *positivas* appellant.

Hinc enim studiosi antiquitatis notitiam, philologi autem nomina petent, quibus commode et latine efferantur magistratus et munera, quae recentior aetas in rerum publicarum rationem induxit. Nec propterea huiusmodi volumina adolescentulos nostros germana barbarie infuscent, quorum aures - et nos facile hac in re querentibus assentimur, - permagni refert nitidis dictionibus adsuescere.

Iuvaret insuper interdum et martyrum nostrorum actus perlegere, quos Pontifices Maximi in Urbe ad multorum exemplum per notarios collegerunt ex vivo Christianorum ore quum ad tribunal coram iudicibus liberrime profiterentur. Quae enim eloquii ingenuitas, quae naturalis simplicitas, et quae etiam verborum puritas eademque elegantia! Quae saepe in purgatissimo quoque scriptore latino prioris aevi plane desiderantur. Quae vero modestia, nec equidem inulta omnino, latini sermonis venustati minime repugnat. Ad quos ego actus, qui nulli certo auctori adscribuntur, quibus plerumque maximam fidem adiungendam esse profiteor, illos adire iubebo, qui inelegantes autumant ac prope barbaros Christianos scriptores superbo ore dictitant. Quis enim melius, quis accuratius, latinos scriptores adamavit? Iis omnino religiosis viris, et nostris temporibus in hoc disciplinarum genere, conversis licet hominum ingenis ac studiis, laus pristina manet et pro meritis augetur. Cura enim et diligentia sanctissimi Meinverchii, do-

ctissimi magistri, inter monachos, ut laeti canere soleban^t:

*Viguit Horatius – Magnus et Vergilius,
Crispus et Sallustius – Et Urbanus Statius!*

Contra eos scientiorum globus coalescere a renatis litteris coepit, qui, postquam a primis incunabulis omnem operam et industriam classico cuique volvimi impenderint, Tullii scripta lacrymis praevoluptate perfundunt. Hi civitatis ordinibus, religione, moribus commutatis, ita degunt, nihil ut somnient, Ennii more, nisi Homerum; nullum nisi Livium vel Lucretium purum colloquantur. Praeposterum sane hominum genus utrique; qui diversissime prorsus abeunt.

Ut ex factionum studiis aliae atque aliae deinceps partes exoriuntur, sic tertia ardelionum natio, paullo superiori memoria, in Gallis praesertim apparuit, qui, quum Graecorum et Latinorum volumina titulis auratis introspexerint in scriniis, sed de Ecclesiae patribus nescio quas technas in diariis aucupaverint, vehementer gavisi sunt, se posse, ut putentur sapere, caelum vituperare. Quocirca obscenos illius Voltarii sales remiscere non reveriti, ad impiorum gustum acuendum, linguam sacram parvi pendere sunt ausi, cui, per ridiculum, ab aedituis primum nomen fecerunt.

Haud ita multo post, et in Gallia, acerimum pro Patribus bellum exarsit, auctore potissimum Fr. Gaume, vice sacra Antistite Nivernensem; qui contendit, Latinos scriptores in scholis primordiorum omnino esse expungendos, atque in eorum locum Christianae sapientiae volumina esse reponenda; ita ut vix, et ne vix quidem, in superioribus scholis paucula quaedam ex profanis operibus liceat adolescentulis nostris delibare.

Quum acriter apud Gallos utrinque decertatur, Pius IX Pontifex Max. auctoritate veluti magisterii, magnum animo-

rum incendium mirabil modo extinxit. Lectio enim scriptorum, quos aurea Romana aetas tulerat, solemniter permittitur, illis modo iure meritoque ablegatis, qui res turpes admodum pertractent. Minime vero morum sanctitati ea officere videntur. Namque Romanos scriptores firmiter constanterque coluerunt quot viri antiquitus florentes, fama gloriae cum pietate percrebuerunt. Et media illa aetas, quam barbarem diximus, magnum divinorum ingeniorum foetum edidit. Inter quos Dantes est inscribendus et Petrarcha, quorum alter immortale illud carmen concinnavit divina prorsus manu confectum latineque inchoatum; et alter singulare poëma latine composuit, quod auctori lauream coronam in Capitolio, plaudentibus omnibus, promeruit.

Et Sanctus Anselmus, Lanfrancus, Petrus Lombardus, sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, quos minime, praeter omnium calumniam dices

Che visser senza infamia e senza dolo!

Ceterum expressiore stili vim invenies tum in mediae aetatis chronicis et sanctorum vitis in solitudinem se recipientium, tum in elucubrationibus ad mores, ritus et caenobitica instituta pertinentibus, quarum agmen claudit divinus ille *De Imitatione Christi* auctor.¹ Quae singula cum animo meo subinde reputans, satis nequeo mirari, cur politissimi illi viri, qui magnificum scriptis suis Leonis X Pont. Maximi aetati splendorem gloriae conciliarunt, plerique in perscrutando christiana linguae ingenio segniter adeo frigideque fuerint versati, ut eam vel incognitam habuerint, vel de male cognita talia pronunciaverint, quae partim infamia notantur.

¹ Hunc Galli civem dicunt esse suum, Germani sibi vindicant, Batavi repetunt. Ioannes vero Degregorius Vercellensis Cannabaci natum in agro Novariensi luculenter evincit.

Sequitur illud mirum, quod lingua latina se ipsa latissime dilatari voluerit, ut plane ab habitibili solo ad caeli vertices pertineat. Quoties peregre proficserentur, interprete Romani indigebant, qui sibi credentes posset sine offensione ludos facere; in iis enim linguis, quas non intellexerent, essentque ex Tullii sententia innumerabiles, surdi profecto erant. Verum enim vero Christiano leviter vel litteris tincto universus orbis patet.

Quamobrem sapienter Franciscus Lanterius, quum Taurinensis Athenaei studia auspicaretur, anno saeculi elapsi octavo et trigesimo, huiuscemodi de sacro, quem tuemur, sermone verba disseruit « Animadvertiscet... latinae linguae fatum ut ad aeternitatem spectet. Cum surgenti Christianorum religione coniungitur: in novis illis divinis institutis doctrinisque, novas resumit vires. De ea, uti de religione, verius quam Vergilius de Romanorum imperio dixerim:

Hic ego nec metas rerum nec tempora pono.

In omnes mundi plagas, quo cumque nostra religio sua tulerit solatia, ibi latinae linguae sonus audietur. Decidit vetus Romanorum imperium, antiqua Roma decidit; at novum Religionis imperium stat, nova Roma etiam dominatur in orbem, quia sedes religionis, cuius vis multo potentior, quia in animis ».¹

Quibus amplissimis latinae christiana linguae laudibus ex corde atque ambabus manibus assentior et plundo; imo, si mihi fas est, meos quoque auditores, quos tamdiu hac in re tenuisse fateor itemque gaudeo, ut mecum libenter adhaereant etiam atque etiam precabor.

I. B. FRANCESIA.

¹ FRANCISCI LANTERII, *Oratio studiis inauguandis* habita in Reg. Taur. Ath. iii non. Nov. MDCCXXXVIII.

Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat.

SENECA, *Epist. XCV.*

AESTHETICAE NOTAE

De sensitiva pulchri perceptione.

Delectationem esse effectum pulchritudinis in his paginis adnotavimus;¹ praestat hodie breviter investigare, quod acriter disceptatum pluries est, num homo per sensuum virtutem aliquo modo pulchrum accipiat; aliis verbis, num omnes sensus ad deserviendum menti apti sint in apprehensione, iudicio atque delectatione pulchritudinis.

Atqui exploratum est revera sensus obiecta sensibilia cognoscere, at minime eorundem naturam iudicare; ita ut in sensibus detur quidem veritas, sed non absoluta. Plena enim perfectaque veritas logica nonnisi in iudicio mentis inest. Quum autem homo constet ex anima rationali et corpore sensitivo, cognition humana a sensibus incipit et a ratione perficitur. Sensus igitur, et ut in seipsis sunt, et ut sunt ordinati ad intellectum considerari debent. Quod si ut in seipsis sunt consideraveris, virtutem eos habere facile invenies assimilandi sibi et in se exprimendi qualitates rerum materialium, seu efformandi similitudinem, imaginem, etc., sensibilibus obiectorum qualitatibus convenientem. Ut vero sunt ad intellectum ordinati, sensus rem perceptam per proprium phantasma menti primo repraesentant; et ulterius intellectus movitur, ideoque ad intimam rerum sensibilium naturam percipiendam mens ducitur. Quod autem h̄c asserimus de sensuum vi cognoscente, proportione servata, asserendum pariter est de vi appetitiva. Hinc optimo iure S. Augustinus «internuntios» vel «intrepertes» animae rationalis sensus appellat. Nec dissimili modo sensum virtus percipiens circa pulchritudinem explicatur; ita ut tuto affirmari liceat, omnes sensus eo modo, hoc est «inchoato ac ministeriali», quo percipiunt et humano intellectui nuntiant veritatem,

rerum extra nos existentium pulchritudinem percipere et nuntiare.

Contra vero huiusmodi principium plures philosophi errores suos protulerunt.

Atque primum ii, qui «Idealismum» sectantes, efficaciam et vim quamlibet sensibus negant, tum ad veritatis cognitionem, tum ad contemplationem pulchritudinis.

Verum facile est eorum fallaciam reprehendere, idque per argumentum ex ipso sensu communi depromptum.

Res enim externas nos procul dubio cognoscimus, earumque pulchritudinem iucunde contemplamur; quod factum quotidiana experientia comprobatur. Atqui, si sensus nihil «reale» nuntiarent, iam nullum medium adesset, quo certiores fieremus, utrum affectiones et formae subiectivae rebus externis respondeant necne. Ergo «idealismus» est «scepticismus» absolutus, quo nihil absurdius. Ad rem optime Tertullianus contra *Academicos*: «Quid agis — ait, — Academicice procacissime? Totum vitae statum avertis, omnem naturae ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excoecas, qui cunctis operibus suis intelligentis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces et mendaces dominos praefecerit sensus. An non istis universa conditio subministratur? An non per istos secunda quoque mundi instructio accessit, tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solertia, virtus, cultus, ornatusque? Omnia totum vitae saporem condierunt, dum per hos sensus solus homo, animal rationale, dignoscitur intelligentiae capax et ipsius Academiae».

Sequuntur illi, qui, licet ab «idealismo» vel «scepticismo» abhorreant, omnes tamen sensus hominis, id est sensibilem eius cognitionem sensibilemque appetitum, a perceptione cuiuslibet pulchritudinis, etiam corporeae, prorsus excludent.

Ita opinatur Ioannes Jungmann in suo de aesthetica opere¹ scribens: «Pulchri-

¹ Cf. fasc. mens. Iunii.

¹ I, 24, ed. 3, Friburgi, 1886.

tudo est qualitas rerum *supersensibilis*, quae nisi per rationem non cognoscitur». Ita pariter Constantinus Gutberlet, qui: «Pulchritudo rerum — ait¹ — est proprietas, quae non a sensibus, sed a sola facultate spirituali cognosci et gustari potest». Quapropter arbitrantur neque licere «de pulchro sensibili seu corporeo» loqui; quibus vocibus plurimum offensi, pulchrum unice et semper aliquid supersensibile et spirituale esse contendunt.²

Huiusmodi vero asseveratio pulchrum cum pulchri notione perperam commiscet. Siquidem pulchri notio semper est spiritualis; ast pulchrum ipsum potest esse corporeum, et ideo sensibile; potest esse spirituale et etiam divinum. Confundit insuper initiale et ministeriale pulchri perceptionem cum ipsa formalis et perfecta contemplatione, quae certe ad mentem spectat. Nec satis naturam humanam ipsam et humanam cognitionem agnoscit, quae non solum spiritualis est, sed etiam sensibilis. Denique nimis aperteque Idealismo hac in re favet. Itaque contra praefatam opinionem argumentum proponi potest: «Praeter pulchrum spirituale, pulchrum corporeum quoque existit et a nobis percipitur; atqui pulchrum corporeum nonnisi per sensus, quasi per internuntios, mens nostra contemplatur; sensus igitur percipiunt nobisque referunt pulchritudinem rerum externarum».

Demum error est illorum, qui inferiores sensus, nempe tactum, gustum et olfactum, a quavis pulchri perceptione excludunt, docentes oculos tantummodo et aures in apprehensione ac delectatione pulchritudinem rerum extarnarum».

At de errore hoc, qui pluribus disciplinarum aestheticarum cultoribus arrisit, alias.

G. LEPORE.

¹ De metaph., p. 141, ed. 2, 1890.

² Cf. KURG, De pulchr. div., pagg. 49-50.

Usibus edocto si quidquam credis amico,
Vise tibi, et longe nomina magna fuge.

OVIDIUS, Trist., IV, 1.

VETERA ET NOVA

De cautelis annonariis.

Dum omnes iam populi rerum inopia, et ipsarum quae ad victimum sunt, urguntur, cautionesque scrutantur ut hinc caritati suppetant, inde fraeno pretia cohibeant, effusis habenis per bellum vecta, haud abs re erit quae maioresde hoc arguento providerint revocare, quo cum nostrorum dierum condicionibus cuique liceat ea conferre.

Atqui in primis occurrit, ad praesentis operae remedium adhibendum, ut insidiae mature perspiciantur, iisque apte occurratur. Itaque si Annonae Praefectus Romae creari quum fame Urbs laboraret, levanda annonae gratia, solitus erat, deinde, experientia duce, huiusmodi officium stabile est factum. Scimus hanc praefecturam ipsum sibi assumpsisse Augustum, perque binos e praetoriis viros ad frumentum populo dividendum quotannis adlectos administrasse.

Eius enim cura praecipua fuit *frumentatio*, ut scilicet populo frumentum gratuito paeberetur. Quod quidem frumentationis genus etiam primis reipublicae temporibus nonnunquam adhibitum fuisse constat.¹ Accesserunt postea leges frumentariae, quibus huius generis largitiones constantes in posterum forent. Earum prima memoratur Sempronius, a C. Sempronio Graccho lata, de qua in *Epitome Liviana* (LX), non quidem laudabiliiter, dicitur: «C. Gracchus, Tiberii frater, perniciosas aliquot leges tulit: inter quas frumentariam, ut semisse et triente frumentum daretur». Quam tamen ingentem adeo munificentiam temperavit quinto post anno Octavius, tribunus plebis, nova lege, de qua Cicero in II de Off., 21:

¹ PLIN., XVIII, 3; LIV., IV, 16.

« C. Gracchi frumentaria magna largitio exhauebat aerarium: modica M. Octavii et reipublicae tolerabilis et plebi necessaria ».

Successit lex Apuleia, per quam L. Apuleius Saturninus, tribunus plebis, Sempronianam rationem retulit, prout liquet ex eiusdem Ciceronis verbis *ad Herennium* (I, 12): « Quum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus latus esset, etc. ».

Denique lex Clodia, P. Clodii, tribuni pariter plebis, eo processit, ut populo frumentum plane gratuito tribuerit.

**

Frumenti distributio per *Curatores frumenti populo dividundi* ex auctoritate Praefecti annonae peragebatur. Hi ergo administri singulis mensibus *tesseras frumentarias* viritim assignabant, ut qui eas habuissent, aliquod e publicis horreis – quae ad novem supra trecenta a P. Victore recensentur – adirent, illisque exhibitis, inscriptum frumenti numerum a *Mensoribus frumentariis* acciperent.

Ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum, quaternum mensium tesseras dare quidem destinavit Augustus; sed desideranti consuetudinem veterem, concessit rursus ut sui cuiusque mensis acciperet. Ita Suetonius in *Vita Augusti*, IV. Idem scriptor etiam nos docuit qui tum esset numerus hoc beneficium frumentum: « Ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum, – inquit (*ibid.*, XLI) – ad centum quinquaginta retraxit ». Quamquam Dio tradidit multitudinem ad ducenta milia ab ipso Augusto auctam.

Posteriore autem aetate pro frumento panis est datus; id primum Aureliano Imperatore evenisse videtur, de quo ait Vopiscus (XXXI): « Coronas eum fecisse de panibus, qui nunc silaginei vocantur, et singulis quibusque donasse, ita ut siligi-

neum quotidie toto aevo suo et unusquisque reciperet, et posteris suis dimitteret ».

Hic panis *gradilis* appellatus est, eo quod dispertiri « in gradibus » consuisset. Quo vero « graduum » nomine, quosnam intelligi oporteat, num qui in amphitheatro dispositi erant, an qui fortasse ad pistrina, vel in foro constructi fuissent, disputaverunt diu erudit, quum tamen quaestionem minime extricaverint.

Idem porro panis *fiscalis* aliquando est quoque dictus. Ita enim veteres glossae (*ad Pers. III*) in haec verba loquuntur: « Farinam, panem non deliciosius cribro disscussum, sed plebeium, de populi annona, idest *fiscalem* dicit ». Ex quo loco et illud colligere datur, id panis genus, initio silagineum et optimae notae, a praestantia sua paullatim degenerasse. Quod tamen vitium emendavit demum Valentinianus, ut patet ex eiusdem lege,¹ quae pro *sordidis*, quales nempe exstiterant, *mundos* deinceps panes datum iri spondet.

**

Sed frumenti panisque largitionibus, progressu temporis et oleum et suilla addita sunt, quarum rerum distributio est quoque Praefecto annonae commissa.

De oleo quidem satis esse poterit Lampridii testimonium, in *Alexandri Severi vita* (c. XXII) ita narrantis: « Oleum, quod Severus populo dederat, quodque Heligabalus imminuerat, turpissimis hominibus praefecturam annonae tribuendo, integrum restituit ».

Carnis vero suillae, praeberi item solitae, mentio hoc pacto fit a Vopisco in *Aurel.*, XLVII: « Statuerat et vinum gratuito populo Romano dare, ut quemadmodum oleum et panis et porcina gratuito praeberentur, sic etiam vinum daretur ». Verum quominus id faceret, prohibitum a Praefecto praetorii sui fuisse traditur;

¹ Cod. Th. de ann. civ.

qui sic loquutus fertur: « Si et vinum populo Romano damus, superest ut pullos et anseres demus ».

Ne quis vero credit Annonae Praefecti officium hisce limitibus contineri: parvi profecto fuisse largitiones, quas numeravimus, moderari, aut saltem praecavere ne res publicis impensis dispertienda deficerent, easque ut bona mundaeque essent accurare. Non enim studii minus praefectura eadem in illud conferebat, ut ne obsonia cariore, quam par foret, pretio venderentur. Quamquam initio magistratus vere non exstitit, deinde tamen ita eius crevit auctoritas, ut et ei fuerit sua iurisdictio. Itaque inter pistores, mensores, negotiatoresque frumenti iudicia exercuit, et illis etiam, quod plurimum est, qui in annonam deliquerint, *crimine annonae* reis factis, poenas irrogandi ius habuit, ut pluribus legibus appareret, quas brevitas gratia omittimus.

Ad quae omnia rite agenda praestet erant certi *apparitores*, quos de publica utilitate sollicitos magis fuisse speramus quam ut... nunc Romae municipes vigilis plerumque videmus.

A. FULCONIS.

Belli sed iras denique Pacifer Coetus repressit; Gallia regiam reclusit aulam, qua sederet nobile Consilium virorum.

Legatus illuc plurimus advolat ex orbe toto, littore, moribus, sermone dispar atque amictu; Pacis amor sociavit omnes.

Quam longa res est hirtaque sentibus turbata Pacis iura reponere!

Vix sera tandem Pax revixit, dissidiisque patens novellis. At nonne lectis infuit Arbitris praeclera quaevis dos: sapientia, auctoritas, ususque rerum et pia mens, studiosa recti?


Haec adfuerunt cuncta, nec uspiam sed sit Senatus clarior, amplior; sed, quae dat actis firmitatem, Relligio procul exsulabat.

Non auspicata sub Crucis arbore sancita Pax est; proh dolor! abfuit qui, Petrus alter, pascit agnos, pascit oves, vigilante Christo.

O Christe, Pacis pacta labantia tuo, benignus, numine robora.

Hoc te rogit plebs christiana, quique regit BENEDICTUS orbem.

FRANC. X. REUSS.



In Consilium Parisiense de pace

Pax alma, pulsis denique nubibus,
arrisit orbi; flens tamen horridas
spectat ruinas, flens recenset
(Martis opus) sine fine caedes.

His namque gestis gaudet atrocibus
Mavors, ut urbes templaque diruat,
devastet agros impletaque
funeribus populata regna.

EX ITALIS URBIBUS

Actuosa Taurinensis vita.¹

Est in eadem urbis regione atque in via Cevae inscripta, amplissima operis lanarii et lintearii officina, quae vulgo pas sim 'l fabricon adpellatur. Incredibilis est enim opificum numerus; immensa quoque est aedium moles. Huc mille et

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Iunii.

amplius operarii quotidie convenire consueverunt; et mane ac meridie quem conglobatim atque in varias societatis sessiones divisi exspectant, donec fores aperiantur, innumeri propemodum videntur, et hora ducta, irrumpunt incompositi ad portas, dummodo ad opus in tempore perveniant. Sunt mille plerumque et amplius puellae et mulierculae, et ipsae vetulæ, quae magno ad opus animo appellantur. Ibi omnes aetas propria sua munera habent. Locorum magistri, qui operantibus praesint, complures, quibus diversum officium attribuitur, ex ipsa rerum conditione.

Lana huc simplex ingreditur vel gossypium impolitum adhuc atque rude, et currentibus rotis, hic in filum convertitur, illic in pannum perfectissimum exit. Et tam arduum opus fit modo puellarum manibus, quae saepe saepius inanibus rebus adlectae, sermones plurimos serunt canentes, dum operibus incumbunt. Quis talia videns temperet a laudibus in humani ingenii nobilitatem, quod huiuscemodi magnarum rerum amplitudinem in dies molitur? Quid Lucretius diceret, qui nigromentis furore raptus, moerens olim atque elegans scripsit: *Crescere sentimus partque senescere mentem?* Haud enim, volventibus annis, hominum mens senebit, maior imo crescit et maiores vires acquirit eundo!

Antequam ulterius progredior, optimum factu arbitror, tibi p醙ula de omni hac nobis regione, quae ad occidentem pertinet, edicere. Abhinc enim quinquaginta ferme annos, una vel altera erat commoda atque elegans hominum habitatio, ceterum prati erant vel horti cum sordidis casis et mapalibus. Quuin primum Ioannes Bosco, sanctissimus ille sacerdos, qui nomine et operibus ad omnis late orbis terrarum confinia pervenit, iactis iam operis sui fundamentis, aedem Augustae Virgini Matri opiferae construendam curavit, divina ve-

luti virgula excitatae, mirum in modum, augeri coptae sunt divitum domus opificumque officinae. Ibi sunt enim in praesentiарum viae ampliae et spatiose, ibi palatia, ibi et innumeræ officinae, unde complures divitiarum fontes in populum emanare consueverunt.

Namque homines, lucri cupidi ingenioque pollentes, vel soli vel foedere coniuncti, aquarum primum Duriae torrentis commoditate adiecti, huc se contulerunt, et prima industriae fundamenta, fortuna incerti, vel haesitantes ponere, et sortem aggredi atque audacter futurum tentare. At paucis post annis, eadem in immensum auctae, in meliorem quoque formam exactae, centum et centum operarii adhibentur, et maiorem in aevum spem fovent, nullo quasi impedimento coactatum. Possunt quia posse videntur. In hac vero nobis regione quinquaginta et amplius millia opificum vitam actuosam vivunt et, multis licet in aerumnis, honestum manibus vicium studiose querant.

Dolendum sane, quod religio, quae mirabiliter virtute sua potest animos ad caelestia erigere fortioresque reddere in laboribus tollerandis, pravo saeculi ingenio atque infanda occultarum societatum opera, superbe, tamquam rerum humanarum obnoxia vel incuriosa, repellitur.

At si hoc lamentabili casu passim apud ceteros incurrit, pro hominum dignitate, minime invenis in officina cui est nomen: *Anselmus Poma et socii*. Hic enim pius in primis, divitiis amplissime affluens, quas abunde in operariorum commodum adhibet, gnarus rectique pervicax, quantus est, totus virtus est et sapientia, dummodo sociorum divitiarum suarum, quos ita appellat opifices, utilitati inserviat, dum commercia foveat augeatque. Quod sapientissime olim Leo XIII P. M. ad operarios respiciens, eorumque sortem miseratus, ut eorum commodo faveret, qui omnibus diebus operi incumbunt, pecunia domino-

rum cum manuum opere iustis moribus composita, nimius ne sit dominis quaestus in operis nocumentum, aequa illa placita excogitavit, quae si utrumque amplectarentur homines, levior esset in dies omnium conditio; hic haud ita multo ante, suum modo ingenium secutus, exequebatur.

Si res prosperae agerentur, si copiosius e mercibus praemium obtineret, in partem utilitatis et operarios ultro advocabat. Ad hanc itaque officinam veluti ad abundantiae ac prosperitatis locum opifices certatim adcurrunt.

De pallio Astensium

In tot rerum hominumque eversionibus, quae narrantur ab historicis, si identidem e communi naufragio aliquid boni forte ad nos enatare videtur, tum laudibus accipere iuvat, tum in ceterorum memoria verbis revocare. Haec mea verba ad consuetudinem quamdam veterem potissimum respiciunt, quae, singulis annis, post multa saecula, tenaciter colitur Astae Pompeiae in Subalpinis.

Haud abs re erit, quo planius omnia intelligas, nonnulla breviter praefari. Est igitur Asta Pompeia parvula sed pervetusta urbs in Subalpinis, altera Montisferrati caput, magna virorum clarissorum parens. Ibi enim p[re]ceteris natus est Victorius Alferius, qui primus Italicae Melpomenes vindex habetur, et veterum tragicorum gloriam est consecutus.

Insuper «mitis in apricis coquitur vinum demia saxis».

Haec omnis namque regio satis ampla, et maxime laudanda civium industria, admirationem in se gentium concitat ob frugum copiam vinorumque abundantiam. Hic quocumque te vertis, nil aliud conspicis quam vites. Et praeclaro omnino nomine undique percrebrescit, et amplissimis laudibus accipitur vinum, cui est

nomen *Barbera*, et intelligentis iudicij hominum honores est facile consecutum.

Verum haec civitas, tot licet meritis praeclera, antiquitatis memor, sanctum Secundum, regionis totius Patronum eudemque civem, maxima religione prosequitur, quam, per tot saecula stantem, venti undique reflantes nec labefactare potuerunt, nec cordibus civium dimovere. Hanc religionem tenet, et nullis rerum difficultatibus aut perversis hominum opinionibus abripi gens passa est, ita ut ad nostram usque aetatem vivida fortiorque pervenerit.

Hoc festum quotannis, adveniente Maio mense, frequenti incolarum advenarumque concursu, alacres colunt et innumeris ceraemoniis suam in Patronum pietatem cives promere student. Quot piae vetustatis memoriae elegantissime reviviscent! Quae vestium varietas, ut omnem vetustiorum temporum imaginem referant! Quae potissimum omnium vultus hilaritas! Tunc in universa civitate multa quies, vel in maximo clamore, et nova sua pectoris conditione nescia fallere. Haec enim civitas, dives opum et latis fruens otia fundis, arrepta libenter hac opportunitate, ad veterum patrum morem, quem laudabilem in primis appellant, totis viribus adsurgere nititur.

Et summa pompa itur ad templum, eique suum ex more munus affertur. Quod quidem et haec nostra aetas, licet recentiorum licentiae plus aequo inserviat, animumque ab omni religione alienum praedicet, et se gloriose socialistam, quam dicunt, appetit, morem tamen populi mordicus secuta, sacro interest, votaque cuncta adamussim persolvit.

Diem festum sancti Secundi magna quoque nundinarum solemnia celebriorem reddunt, et multis insuper publice propositis praemiis, ut incolarum circumstantium curiositatem stimulent: sunt et armis concursus vinorumque immensum

specimen, et per biduum nundinae fiunt pecori cuicunque emendo distrahendoque. Adsunt et equi velociores, qui in stadio currunt, et quos, ut Horatius scribit, curriculo pulverem colligere iuvat. At, praeter omnium opinionem, memoratur magna *pallii* celebrites.

Quid autem est hoc pallium? Est equidem nihil aliud quam pannus ille purpureus, qui olim apud Italos mediae, quam vocant, aetatis, in praemium victoribus attribuebatur, in solemini quoque hominum conventu. Qui usus nunc stadium significat, et currere stadium idem sonat atque contendere in curriculo quam maxime quis possit, ut superior evadat. Pallium vero Astense duplex idemque serum, et septem vel octo ulnarum, cum civitatis imagine sanctique Secundi optime depicta. Mirum in modum, condicta hora, municipii rectores, maxima hominum frequentia ad Templum maius, comitante populo, pergunt. Inter eos puer incedit, qui, magnificum veterum morem popularem secutus, Pallium gerit super elegan- tissimo ac pretiosissimo pulvinari molliter positum. Ad portas templi, sacris indu- mentis exornatus, antistes adest, qui aptis verbis Pallium ad Secundi honorem adsignatum grato animo accipit, omniaque prospera civibus auspicatus, solemnis pompa ad altare, comitantibus sacerdotibus, innumera civium prosequente multitudine refert.

Nunquam haec sacra Pällii festivitas, quae uti fertur, originem a Carolo Magno trahit, dum Asta sui iuris fuit atque mancipii, nec hominum incuria, neque impotentia quadam pravaque temporum malignitate in oblivionem, uti diximus, abiit. Si quando semel negligi visa est, subito, rebus in melius compositis, vehementius instauratur. Nec facit nonnullos, haec inter aniles fabulas referenda esse reputasse: Astenses pravorum calumnias indignati, mira animorum concordia et con-

stantia firmiores manserunt. Et quum in ditionem Domus Allobrogicae Asta concessit, hac in re, sui arbitrii esse voluit. Ipse Emmanuel Philibertus, qui paulo ante rem subalpinam profligatam ac pene perditam praeter omnium opinionem virtute sua restituerat, ratam habuit; et quum Astensium placitis hac in re aliquantis per obsistere videretur, cives illi comiter equidem at libero ore voluntatem suam vindicaverunt. Et fortissimus ille princeps nihil antiquius habuit quam ut illius populi sententiae obsequeretur. Qui usus viget igitur, et, Deo dante, vigebit.

Atque adeo religio et amor patriae ita semper Astensium animos devinxit, ut confertissimi ad patriae instituta defendenda in aciem cum regibus progressi sint, et in Sanctum Urbis Patronum invictam excelsi animi firmitatem, qua maxima possent solemnitate, profitentes, fidei, pietatis exstent omnibus pulcherrimum documentum.

SUBALPINUS.

COMMUNIA VITAE

De valetudine percontatio Morbi - Medicamenta.¹

Nervorum valetudo me cruciat:

Siriasis.² - Hyperaemia (Cerebri congestio). - Cerebri anemia. - Hydrocephalon. - Cerebri apoplexia. - Emboulismus.

Morbus cephalicus (Cephalgia). - Cephalaea.³ - Hemicrania.⁴ - Siriōsis.⁵

¹ Cfr. num. sup.

² Inflammatio cerebri et membranarum eius, unde pallor, febris ardens, siccitas, etc.

³ Diuturnus et inveteratus capitis morbus.

⁴ Quum dimidium capitis infestatur.

⁵ Capitis ardor.

Odontalgia. - Aemodia.¹ - Dentium labefactatio. - Gomphiasmus.² - Dens dolet (dolores movet atrocissimos).

Dentium vis sopita est. - Dentibus vis mandandi est adempta (Conficiendi cibi vis hebetatur).

Mihi eruti (evulsi, exculpti, exempti, excussi) dentes sunt. - Sum edentatus (dentibus minutus, diminutus).

Iudicii, quod aiunt, dentem dentivi (emisi, edidi, eduxi, effudi).

Ptyysis (Ptysma).³ - Oscedo (Oscitatio).

Nevalrgia. - Spasmus.⁴ - Tetanus.⁵ - Ischias, ādis (Dolor ischiadicus).⁶

Eclampsia (Nervorum convulsio).

Epilepsia (Epilepsis, Comprehensio, Invasionis, Retentio, Manar, Morbus comitalis, Herculeus [Herculanus], sacer, sonticus, lunaticus, caducus). - Vitium comitiale sentio.

Neurastenia (Nervorum languor).

Vertigo. - Lethargus (Lethe, Oblivio, Argia, Torpor, Veternus). - Incubo, ōnis (Incubus, Ephialtes).⁷

Agrypnia.⁸ - Somnum capere non possum. - Somnum non amplius video oculis meis. - Oculi mei conciliare (reperi) somnum non possunt. - Mihi die ac nocte insomnes oculi sunt. - Dies noctesque somno vacuas (somni expertes, vigiles,

¹ Stupor dentium.

² Dentium abruptio.

³ Frequens ex continuo humore sputum.

⁴ Nervorum attractio (inde spasticus), cui obiicitur nervorum intentio.

⁵ Rigor, distensio, passio, que corpus neutrubi flexile facit. Dicitur *trisma* quum vultus musculos afficit; *emprostothonus* quum corpus in anteriores partes inclinatur; *opistothonus* quando in dorsum aut in scapulas torquetur; *pleurostothonus*, quum in latus. Inde adiect. *tetanicus*, *emprostothonicus*, *opistothonicus*.

⁶ Coxendicum dolor, unde *ischiadicus*, *ischiacus*, qui hoc morbo (Italice *sciatica*) laborat.

⁷ Nocturna corporis oppressio et suffocatio in somniis.

⁸ Somnus difficilis, vigilia, pervagilium; unde *agrypnetus*, qui vigilias facile perfert.

insomnes) traduco (exigo). - Perpetuo totius diei ac noctis insomnio labore. - Somno nec convivere quidem possum. - Cono quidem dormire, sed frustra. - Nullam operam dare somno mihi licet. - Somno me reficere nequeo. - Nulla quiete, nec die nec nocte, corpus levare (recreare, reficere) valeo. - Nunquam iam mihi quiescere (requiescere, me quieti tradere) datur.

Cardiopalma (Palpitatio). - Perpetuo mihi cor in pectore micat. - Micantis cordis perpetuam sentio in pectore motinem. - Assidue mihi cor salit.

Cardialgia (Morbus cardiacus). - Praefocatio.¹ - Intercluso animo prope perimor (Oppresso halitu necor, Suppresso spiritu conficior, Praecluso spiritu intermor).

Phrenesis (Phrenites). - Furor.

Furore agor (corripior, teneor, inflammar, incendor, concitor). - Furiis agitor. - Ad furorem redactus sum. - In furorem labor (incido).

Insania. - Insanio (In insaniam incidi [lapsus, prolapsus sum]).

Desipio. (Deliro, Aberro, Dementor, Demento, Mente sum captus). - Ex potestate mentis exivi. - Mentem amisi. - A mente decessi (aversus sum). - De meme discessi. - Ad dementiam sum adductus.

Mens me reliquit (defecit, destituit). - Mentis lumine sum obcaecatus. - A mente sum destitutus. - De mentis sanitate sum perturbatus. - Iam non sum mentis integræ (mentis compos). - Sum mentis motæ (commotæ, impos). - Mente excidi.

De ratione exturbor. - De consilio deiciar. - Animo non amplius consto. - Ab animo labore.

Heu! factus sum desipiens (insipiens, delirus, stultus, demens, insanus, bardus, insulsus, vesanus, stolidus, amens, consilii extorris, rationis expers, impotentis animi, a ratione abstractus).

¹ Spiritus faucibus occlusus.

Quae te dementia cepit? Quae te insania tenet (habet, possidet)?

Resp. Deliramenta loquor (fundo). - Non nihil deliro. - Hilarem (tristem) insaniam insanivi. - In dies ad insaniam progredior. - Quotidie magis furor in me augetur.

Parum firmae mentis sum. - Aliquantulum amentia flagro.

Apoplexia (Apoplexis).¹ - Paralysis (Nervorum resolutio, Paresis).

I. F.

(*Ad proximum numerum*).

¹ Stupor ac totius corporis sensus et motus privatio; qui morbus in mortem aut paralysin desinit. Quum una tantum corporis pars corripitur hemiplexia dicitur.

ANNALES

Parisiense de pace concilium.

Haud profecto dicendum est Parisiensis concilii labores multum, reliquo hoc tempore, fuisse progressos; etenim praeter quam quod, die vigesima superioris mensis Iulii, quae etiam tum supererant foederis clausulae Austriacis traditae sunt de rebus militaribus pecuniariisque - (circa quae est constitutum ut refectiones hostibus concedendae singulis Austro-Hungarici quondam imperii statibus proportionis lege adhibita solvantur) - nihil aliud est definitum neque de Italicis negotiis, neque de Belgicis Rumenisque; qui etiam populi haud iniustas querelarum causas habuerent.

Interim Wilsonus ad foederatas Americae septentrionalis civitates suas rediit, constituensque, qui vulgo dicitur, Germaniae coetus, aegre licet, suae pacis pactio- nes ratas habuit.

**

Hungarorum Russorumque res.

Quum Bela ille Kum in callidas casses suas vidisset fore ut Parisiense concilium haud incideret, depositus iterum personam, quam pro opportunitate induxerat, offensionemque in Rumenos suscepit, qui in Hungaria remanserant. Malum vero supremum sibi accersivit; Rumeni enim eius copias fregerunt, quas imo persequuti, tringinta millium numero ad Budapestinum pervenere, eamque urbem occuparunt, postquam nefarius dictator, de salute sua demum desperans, in turpem se fugam vertit. Novum pro tempore gubernium est suffectum, quod summam rerum tradidit Iosepho, magno duci ex Absburgensi domo, qui potestatem populi nomine assumens administratorumque collegium legens, edixit sese, in Hungaricae gentis bonum intentum, regiminis formam esse amplexaturum quam populi voluntas iussisset: nunc studium omne conlaturum, ut quies et ordo quo citius et omnino restituantur.

Ex adverso in Russia haec cuiusque civitatis necessitas nondum intelligitur; vel saltem nihil fit, quo palam collocetur. Bolsheviki namque in feritate sua perseverant; quamquam et a Chersoneso Taurica omnino per vim expulsi dictitantur, et in Ucraina a Polonis fusi ac fugati.

**

Novus Lusitaniae praeses.

In Lusitania novus rei publicae praeses electus est Antonius Almeida.

Idibus Augustis MCMXIX.

POPULICOLA.

Sicut sumenda sunt amara salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo.

S. AUGUSTINUS, *De doctr. Christ.*

VACUI TEMPORIS HORA

Fugi Thebas, eiusque ... calores; rus veni in apricum collem, ad pedes circiter mille supra mare, ubi zephyrus suaviter mulcens arva leni satis flamine spirat. Hic, procul negotiis, beatam solitudinem solam beatitudinem dicerem, nisi **felium maumatus** morosum taedium importunamque molestiam mihi generaret. Herce! quam felium numerus in oppidulo hoc, quamque ii diu noctuque loquaces! Ita ut mentem in singulares sermones hosce intendens, eorum sensus apprime assecutus esse mihi videar.

Quum autem sic natura sim comparatus, ut quae repererim statim cum amicis communicem, en me vobis, lectores, amicissimis meis iisque fidelissimis, quippe singulis mensibus non aegre, lucubraciones meas, quaelibet eae sunt, accipitis, inquisitionum mearum summam libenter aperio.

Miao! igitur comperi omnes felium naturae necessitates exprimere. Scilicet generale felibus verbum est, quo desiderium panditur ex gr. exsta comedendi, caseum vorandi, insidiandi muribus, imprudenti cuiquam per fraudem res subduendi atque clependi.

Brrrao! amoris gratique animi sensus detegit: « Here, mi, tamquam spumam lactis, aut aviculos te diligo!... ».

Wahh! doloris fremitus est, irae, minarum; quasi: « Vae tibi! Male me afficis; solve me, aut unguibus te excarnificabo! ».

E contra *ronron* illud, cuique optime notum, effusam nunciat laetitiam; animi, ut ita dicam, et corporis perfectam voluntatem.

Pfut, pfut! autem, quo a felibus canes praesertim impetuntur, dum eorum cauda tumescit, ferociore breve dicto, non tam ad singulare certamen inimicus nominatim

evocatur, - felis namque ad fugam est paratus, - quam merus Thraso ore ac gestu magnifice praefertur: « Abi in tuam viam; quem ego!... ».

Vvóóóh! denique, ille fere ululatus, qui aestivi huius temporis per noctes fastidiosissime nostros interruptum somnos, nihil aliud est quam ad aliquas amicas fores felinae musices elegans suavisque concentus.

In sumمام itaque habemus locutiones sex bene definitas, quibus felium oratio complectitur; haud multas equidem, quaeque ad vocabularium redigendum sint satis. Verum optima linguae cuiusvis qualitas nonne est, ut perspicuum simplicemque sermonem adhibeat? Menti igitur eas mandetis, licebitque vobis gloriari, quod linguam vere « internationalem » loquamini, quam sine praeiudicata opinione, imo etiam iucundissime feles universi orbis intelligent.

**

Sed utilitates alias rustica haec vita comparavit; quidam namque villicus, senex multumque huiuscemodi rerum usum habens, **novum barometri genus** me docuit, cuius pariter copiam hic facere non morabor.

Id ex floribus est. Si agrorum nepitella caput reclinat, argue diei ex aestu fervorem; si e contra evehit, suave ex leni aura frigus. Ob imminentem pluviam trifolii leguminumque calami eriguntur; cardi squamulae inter sese stipantur; convolvuli et anagallidis flores clauduntur, dum lactaceae, quinquefoliique revelluntur; nepentis denique subversi eunt. Non una pluvia, sed tempestas ab exalidis (vulgo « acetosellae ») et carlinae florum occlusione; qui quidem quum reserantur seque altius extollunt, caeli faciem serenam vaticinantur.

Haec, inquam, villicus meus diu ac studeo speculator est, custodivit, mihiique demum pandit.

Profecto aciem mentis quousque acuit
agrestium rerum consideratio! Memini,
quae olim de Brillant-Savarni legi, «*Gus-
tus physiologiae*» gallico illo auctore.

Cui quidem graviter quum aegrotasset
medicus rigidam diarium praescripserat.
Quadam die amicus eum invisit invenitque
iucundissime pullum vorantem.

An igitur ita - indignabundus inter-
rogat - medici tu iussa servas?

— Quinimo ab ipsis ne lato quidem un-
gue diverto. Ipse enim vides, me hordeo
granoque vivere.

Et quia alter in eum quasi in amentem
acriter oculos adiicebat, is est prosequutus: - « Ne mireris, amice, priusquam quae
dicturus sum acceperis. Pullus hic duos
longos menses hordeo atque grano unice
vixit; itaque eum comedens, nihil aliud
quam hordeum granumque in stomachum
meum immitto. O quam pretiosum donum
Turcae nobis fecerunt suum granum apud
nos importantes! Ex tritico namque hoc
pullus tam delicatissime palato sapit. Quo-
ties rura transgredior, frumentaque cerno
in spicam emicantia quasi undarum aesta
agi, eorumque odorem per aërem suaviter
afflantem percipio, fere a me ipso abalienor;
menti enim sensibusque visum illud
imponit alterum, idque non pretiosum mi-
nus, suffimen, coquinati scilicet pulli, cuius
quadam die grana illa nutrimentum fient!...»

Brillant-Savarni amicus dicitur asse-
russe illum rationes suas diserte perse-
qui egregieque prosequi.

Loci.

Tuccius a Magistro interrogatur:
— Quot sunt elementa?
— Quatuor.
— Nempe?
— Aér, aqua, terra, et... et...

— Euge; restat elementum illud, quod
multarum aerumnarum causa est...
— Ah! Aéronautica.

Tuccii pater cerasi nucleos aliquot in
terra invenit; filium itaque exprobat:

— Tu igitur cerasa furtim comedisti?
— Absit; ne ea quidem vidi.
— O puer impudens! Hi nuclei, quos
ipse conspicere potes, satis mendacii te
arguant.

— Quin etiam vera esse demonstrant
quae sum professus. Nucleos enim ego non
dissipo, sed cum pulpa voro!

**

Aenigmata.

(Vulgo *Rebus*).

o SAPIENS s do DIVES us
p ct

II

Cernere me nulli possunt, nec prendere pal-
[mis:
Argutum vocis crepitum cito pando per or-
[bem.
Viribus horrisonis valeo confringere quercus,
Nam Superos ego pulso polos et rura peragro.

(Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1] *Nex, Nix, Nox,*
Nux; 2] *Mel-os*).

IOSFOR.

*Primum iustitiae officium est coniungi cum Deo.
Secundum cum homine. Sed illud primum religio
dicitur, hoc secundum misericordia, vel humanitas
nominatur, quae virtus propria est iustorum et
culturum Dei; quod ea sola vitae communis in se
continet rationem.*

LACTANTIUS, lib. VI.

ROMA SACRA

**Benedicti PP. XV litterae apostolicae ad
Germaniae episcopos, in quibus oppor-
tuna monita proferuntur, ut, pace tan-
dem sancita, belli damna, catholicae
Ecclesiae opera, quamprimum resar-
ciantur.**

Diurni luctuosissimique belli tandem na-
tioni vestrae finis illuxit; pace sancita, obsidio
illa maritima tandem sublata est, quae tam
multos, belli nullo modo participes, istic praes-
ertim interemit. Quapropter, venerabiles fra-
tres, Nos, qui, utriusque partis belligantes
paterno animo complexi, nihil reliqui fecimus
quod vel ad tantum incendium extinguendum
vel ad eius miserias minuendas pertineret,
singulares Deo omnipotenti grates vobiscum
universaque cum gente vestra persolvimus.

Iam hoc agitur apud vos, ut immensa
belli damna quamprimum resarciantur: quam
quidem ad rem, quoniam nihil tam valet quam
Ecclesiae Catholicae opera, cui divina gratia
accesserit, ideo has dare ad vos litteras con-
stituimus.

Primum, ne in Germania perturbationes
publici ordinis erumpant, quae possunt eidem
ataque adeo ipsi Europae exitium afferre, quod
aliis nationibus dolemus imminere, omni ope-
nitendum est, ut quae ad victimum necessaria
sunt populo suppetant. Ob hanc causam vos,
venerabiles fratres, parochis adhibitis ceteris-
que de clero, quibus maior est cum populo
consuetudo, fidelibus, qui agros incolunt, in-
stabitis ut, quantum parcendo possunt, tan-
tudem cibariorum urbanis fame laboranti-
bus praebere ne recusent. Id omnino in hac
summa necessitate temporis lex iubet carita-
tis; quae si omnes, vel inimicos complectitur,
eos vult peculiari modo a nobis diligiri, qui-
buscum communis patriae vinculo coniungi-
mur. Insuper confidimus fore ut quotquot

sunt homines cultarum nationum, maximeque
catholicci, isti populo, quem ad extrema redac-
tum scimus, opitulari maturent, non modo
periculorum metu, verum etiam eiusdem hu-
manae familiae communione et christianaee
caritatis necessitudine adducti. Illud enim
semper meminisse omnes debemus, quod sanctus
Ioannes Apostolus clamat: « Qui habue-
rit substantiam huius mundi et viderit fratrem
suum necessitatem habere et clauerit viscera
sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate » (Epist. I, III, 17-18).

Deinde, venerabiles fratres, omnem sacri
muneris auctoritatem unusquisque vestrum
convertat oportet ad sananda ea, quae bel-
lum nationi vestrae peperit aut exasperavit,
vulnera animorum. In quo potissimum labes
abolenda erit odii cum adversus externos qui-
buscum dimicatio fuit, tum inter cives, quos
partium studia dissident; atque eius loco
excitanda, quae a Iesu Christo est, fraterna
caritas, cui nulli sunt fines populorum, nulla
inter civium ordines certamina. Quod nuper
in sacro consistorio significavimus, illud ipsum
hic iteramus votum, « ut homines populique
inter se vinculis denuo conscientur christia-
nae caritatis, quae si desit, omnis de pace
conventio frustra erit ».

Vos profecto, venerabiles fratres, ut pa-
stores boni iidemque pacis caritatisque admi-
nistri, omnem vestram diligentiam industria-
que in hac causa adhibebitis, non cessantes
communibus cum clero populoque vestro pre-
cibus propitium implorare Deum. Quod ad
Nos attinet, vobis in hoc patriae vestrae
summo discrimine non sane defuturi sumus;
sponte enim paternus animus illuc fertur
studiosior, ubi filiorum est necessitas maior,
exemplo nimirum amantissimi hominum Re-

demptoris, qui, multitudine graviter laborante commotus, memorabilem illam edidit vocem: *Misereor super turbam.* Auspicem interea divinorum munerum ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, vobis, venerabiles fratres, et omnibus, qui curae vestrae sunt concreti, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XV mens. Iulii MCMXIX, Pontificatus Nostri anno quinto.

Ex Congregatione S. Officii.

De Theosophismo.

Doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi non possunt cum doctrina catholica; ideoque non licet nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere (Ex decr. d. 18 mens. Iulii 1919).

Ex Congregatione de Religiosis.

De Religiosis servitio militari adscriptis.

Decretum *Inter reliquas* S. Congregationis Religiosorum diei 1^{ae} Ianuarii 1911 de Religiosis servitio militari adscriptis viget adhuc post Codicis Iuris Canonici promulgationem. Novitii autem servitio militari adscripti vota religiosa temporanea ad triennium emittere non debent iuxta modum in canone ipsius Codicis 574 expressum; sed vota temporanea emittantur valitura usque ad servitium militare. Itaque vota praedicta cessant eo die quo Religiosus militiae effective adscriptus et disciplinae militari subiectus evadit, vel inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur. Perdurante militari servitio, alumnus, quamvis votis religiosis non sit ligatus, tamen membrum religionis esse perseverat, sub auctoritate suorum Superiorum, qui de eo curam habere debent forma praescripta in Decreto *Inter reliquas* nn. IV et V, Attamen, ad normam can. 637 Codicis I. C., alumnus

potest libere religionem deserere, praemonitis Superioribus per declarationem in scriptis vel coram testibus; quae declaratio caute in archivo Ordinis vel Instituti servabitur. Religio pariter potest eum, ob iustas et rationabiles causas, dimissum declarare.

Denique ad praecavendam dubitationem omnem circa professions, quae forte post promulgationem Codicis bona fide emissae sunt contra praescriptum Decreti *Inter reliquas*, S. Congregatio facultates tribuit Superioribus eas sanandi, dummodo accedat consensus Religiosi in scriptis declarandus atque in archivis servandus.

(Ex decr. d. 15 Iulii 1919).

EPISTOLARUM COMMERCII

Cl. v. JOSEPHO PAN..., Madriti. – Priusquam incipias consulto; et ubi consulueris, mature facto opus est. , inquam, non *verbis*; uti monet pervetustum hoc adagium.

Rev. v. FERDINANDO LO..., Barcinone. – In superiori fasciculo, professori Georgio Val... respondentes, diximus haud difficile fortasse nobis fore ut integrum aliquam *Almae Romae* collectionem componere possimus, cuius prestitum ad expletum usque currentem annum MCMXIX sit libell. 65.

Doct. clarissimo RAPHAELI CA....., apud Siculos. – Carmen, quod recens misisti, edere nequimus. Ne tamen studium tuum erga nos idcirco minuantur...

Cl. v. GEORGIO PAT..., Londini. – In cistellulam.

Cl. v. HECTORI VI..., Neapol. – Hei mihi qualis factus es! Quantum mutatus ab illo... Hector!

Cl. v. AUGUSTO AL....., Augustae Taurinorum. – De benevolentia tua, quam his diebus iterum ostendisti, gratias habemus et referimus.

A. SECRETIS.

JOSEPHUS Dr. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.